Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Auctoritates utriusque Testamenti

Nicolaus <de Hanapis>

[Straßburg], um 1475-80

De intencione - De iusticia

urn:nbn:de:bsz:31-313490

Visual Library

Reddiderunt filij amon contume=
liam pro honore quando vitupera=
uerunt nuncios dauid quos miſe=
rat ad conſolendū regem eorū ſup
patris interitu. ij. Regum. x.

Ingrati fuerūt dauid et joab fide=
litati vrie quorū vnus ſcilicet da=
uid litteras mortis ſcripſit. j. Regū
xj. et alter fideliter executus eſt

Poſtquam dauid filio ſuo abſolon
ſuper fratricidio ſuo pepercit ſurrex
it ipſe abſolon et patrē de regno ſuo
fugauit. ij. Regum. xv.

Sublimauit deus jeroboam in re=
gnū ſuper quatuor tribus et ille ſta
tim populū traxit a cultu dei. iij. Re
gum. xj.

Helizeus multa bona fecit regi iſra
hel et toti populo iſrahel ꝓpter cari
tatē que erat in terra precepit rex ca
put eius āputari ſed deus aliter or=
dinauit. iij. Regum. v.

Non eſt recordatus joab rex juda
miſericordie quam fecerat ſecum jo
nata pontifex ſed zachariam filium
eius occidit quia eum arguebat ꝙ
dn̄m reliquiſſet. ij. Parali. xxiiij.

Amaſias rex juda diuino fretꝰ auxi
lio vicerat ydumeos et filios ſeyr
et poſtea manu ferens deos eorum
adorauit eos. vnde miſſus ad eū pro
pheta dixit cur adoraſti deos. ij. Pa
ralipomenon. xxv.

Multi bonitate principum et hono
re eis collato abuſi ſunt in ſupbiam
Heſter. iij.

Conqueritur deus de populo judeo
rum Yſaie. j.

Enutriui et exaltaui et ipſi ſprene=
runt me Et ſubdit eos eſſe beſtias
minus gratas dicens bos cognouit
poſſeſſorem ſuum.

Miſit jonathas et liberauit regem
demetriū de manibus anthiocenorū
et poſtea demetriꝰ alienauit ſe a jo=
natha et nō retribuit ei ſcḋm beneficia
que ſibi fecerat. ij. Machabeorū. xj.

De decem leproſis a dn̄o mundatis
vnus tantū regreſſus eſt qui graci=
as egit Luce. xvij.

De intencione.

Occidit caym abel Gen̄. iiij.
Dauid goliam vt patet de
homicidio. j. Regū. xvij.

Abraham riſit in ꝓmiſſione filij et
etiam zara riſit ſed riſus abrahe cō=
mendatus fuit zare vero rephenſus
Geneſis. xvij. et. xviij.

Dixerunt pharao Exodi. ix. et. x.
Saul libro. ij. Regū capi. xxvj.
Manaſſes. ij. Paralipo. xxxiij.
Judas ſcarioth Mathei. xxvj.

Peccauimus quilibet peccauit ſed
intenciones eorum valde diuerſe Si
milia verba dixit moyſes in raphi=
dim quando populus peciit aquam
ad bibendum Exodi. xvij.

Et aquas contradictionis Nū. xx.
Sed prima vice nō heſitauit ſed ſe
cunda dubitauit vt patet ibidem.

Filij ruben et gaad et dimidia tribꝰ
manaſſe edificauerunt altare dn̄o ſꝫ
longe alia intencione ꝙ crediderunt
alij filij iſrahel Joſue. xxij.

Cōmendauit dn̄s intencōem et vo=
luntatem dauid quā habuit ad edi=
ficandum templum licet noluerit ꝑ
eū templū edificari. ij. Regū. vij.

Miſit dauid ꝑ vria nō vt requieſce=
ret ſed vt peccatū qḋ cū muliere cō=
miſerat faciliꝰ occultaret. ij. Reg. xj

Ornauit ſe judith nō ex libidine ſed
vt ppl'm ſuum liberaret Judith. x.

Quod mardocheus nolebat aman adorare nõ ex inobediencia hoc fecit ſed q2 nolebat diuinum honorē homini mortali adhibere Heſter·iij·

Dixit herodes ad magos vt cū puerum jheſum inuenirent ꝙ redirent et nunciarent ei ꝙ et ipe veniens adoraret eū ſed et ipe longe aliud intendebat Mathei·ij·

Signanter addit dn̄s ſentencie et intencionem quā debet quiſq3 habere bona faciendo vel mala fugiendo Luce·vij· Mathei·v· Beati eritis cum maledixerint· Item mathei quicunq3 potū aque dederit nō perdet· Item omnis qui reliquerit pa·

Elemoſinam dare orare ieiunare p̄cepit dn̄s non ꝓpter honorem fieri ne contingat tam bona ꝙ praua intencione corrumpi Mathei·vj·

Quidam xp̄m ſequebant̄ vt eū nequiter obſeruarent Luce·xiiij·

Alij vt de panib⁹ mādücarēt Jo·xj

Alij vt ſanarent̄· Alij vt eternaliter ſaluarentur Johannis·vj·

De inuidia·

Inuidia dyaboli intrau͛ in orbem terrarū q2 vidit hominem in ſtatu felici eſſe et ad illum poſſe aſcendere locum vnde ceciderat ipe· vnde temptauit eum et vicit Geneſis·ij·

Inuidia cayn abel occidit q2 vidit eius munera accepta eſſe deo et ſua non Geneſis·iiij·

Rachel ſterilis ſororem fecundam inuidit Geneſis·xxx·

Vnde apparet ꝙ inuidia ꝓpinquis et parentib⁹ non parcit·

Fratres joſeph inuidebant videntes ꝙ a patre plus omnibus amaretur Geneſis·xxxvij·

Maria et aaron locuti ſunt contra moyſen fratrem eorum et per eū honorem magnū habebant Nu̇i·xij·

Percuſſo philiſteo cantabant mulieres ſaul mille et dauid decem milia vnde iratus eſt ſaul ex inuidia et ſ̄m o ille diſplicuit ſibi·j·Reg·xviij

Videns achitofel ꝙ nō factum fuerat ſ̄m conſiliū ſuū ſed ſ̄m conſiliū cuſi abiens in domum ſuam ſuſpendio ſe interijt·ij·Regum·xvij·

Daniel omnes principes et ſatrapas ſuperabat vnde ipi occaſionem contra eum querebant Daniel·vj·

Alchimius vidēs caritatem iude et nichanoris ad inuicem venit ad demetrium et dixit de nichanore ꝙ rebus alienis aſſentiret iudāq3 regni ſucceſſorē deſtinaſſet·ij·Macha·xiiij

De baptiſmo xp̄i fuit inuidia inter diſcipulos xp̄i et johannis dicentes ꝙ omēs poſt xp̄m irent Johānis·iij

Ad tantam ipi principes ſacerdotū ꝓruperunt inuidiam ꝙ legit̄ Mathei·xxvij·

Sciebat pylatus ꝙ per inuidiā tradidiſſent xp̄m ad crucifigendū·

De ira dei·

Secundum beatū auguſtinū ix·de ciuitate dei deus ſ̄m ſacras ſcripturas iraſcitur nec tamen vlla paſſione turbatur hoc verbum vindicte vſurpatur affectus nō illi⁹ turbulentus effectus· ſed ideo vtitur ſcriptura hoc verbo et ſimilib⁹ vt terreat ſuperbientes· excitet negligētes· exerceat querentes· et alliciat intelligentes·

Miſiſti iram tuā dicitur de egipcijs Exodi·xv·

Moiſes orauit̄ dñm dñe cur iraſcit̄
furor tuus ſuper populū tuū Exo:
di Triceſimo ſecundo
Item flagrabat populus deſiderio
carniū Nūi·xxi·Et ſequit̄ et irat⁹
eſt furor domini valde·
Occaſione ſedicionis chore dixerūt
moyſes et aaron ad dñm fortiſſime
de⁹ ſpiritu nūquid vno peccante cō
tra omēs ira tua deſeuiet Nūi·xvi·
Nota ibidem qd̄ ſequitur de ira dei
fornicatus eſt populus cū filiabus
moab Et ſequitur iratus dñs dixit
ad moyſen tolle cunctos principes
populi et ſuſpende eos cōtra ſolem
vt auertatur furor meūs ab iſrahel
Numeri·xxv·
Iratus eſt cōtra moyſen ad aquas
cōtradicionis Deutronomij·i·
Cauete ait moyſes ne forte decipia:
tur cor veſtrū et recedatis a dño et
ſequit̄ Iratuſqȝ dñs claudat celum
Deutronomij·xi·
Iratus ē dñs super filios iſrł̄ ꝓpt̄
achā q̄ tulit de anathemāte. Joſue·vij·
Iratus eſt etiā qꝛ nūare fecit popu:
lum rex dauid·ij·Regum·xxiiij·
Iratus eſt etiā ſalomon qꝛ auerſa ē
mens eius a dño·iii·Regum·xi·
Per ydolatriā et auguria irritaue:
runt dñm filij iſrł̄·iiii·Regum·i·
Propheta dixit ioſaphat regi iuda
impio prebes auxilium et hijs q̄ ode
runt deum amicitiam iūgeris et id
circo irā dei merebaris·ii Para·xix·
Ezechias rex iuda beneficia que a
dño acceperat non retribuit et ideo
facta eſt ira dei contra eum ſecundo
Paralipominon·xxxii·
Comederūt et ſaturati ſunt et in:
pinguati ſūt et delicijs habundauerūt
in ebrietate ſua magna ꝓuocauerūt
te ad iracūndiā Neemie·ix·
Arthaxerſis rex gentilis ait omnia
ſcḋm legem dei fiant ne forte exurgat
ira dei in regno regis et filiorū eius
Eſdre·vii·
Dixit dñs ad alyphad themaniten
iratus eſt furor meus in te et inimi:
cos tuos qui non eſtis locuti rectū
coram me Job·xlii·
Iratus eſt dñs cōtra ſeruū neq̄ꝫ et
tradidit eū tortoribꝫ Mathei·xxv·
Qui credit in filium dei habet vitā
eternam·qui autē non credit non vi
debit deum ſed ira dei ſuper eum ma
net Johannis·iii·
Multū eſt timēda ira dei que in die
iudicij oſtendet̄ Apocalipſis·vi·
Reges et principes terre dicent ca
dite ſuper nos montes et abſcondite
nos a facie ſedentis in throno et ab
ira agni·

¶ De ira boni hominis·

IRa ꝓpter bonū zelū eſt cō:
mendanda vn de Exodi·xi·
Et cū moyſes loq̄ret̄ pha:
raoni et ille noluit audire exiuit a
pharaone irat⁹ nimis·Precepit mo
yſes filijs iſrł̄ vt de manna null⁹ re:
linquere vſqȝ mane qui nō audierūt
eū.Et iratus eſt moyſes contra eos
Exodi·xvi·
Reuerſus a dño moyſes cū appin:
quaret ad caſtra vidit vitulū aureū
et choros et irat⁹ ē vald̄ Exodi·xxxii
Cum quereret moyſes hircum qui
oblatus eſt ꝓ peccato exuſtū reperit
iratuſqȝ eſt cōtra eleazar et itamar
ait cur nō comedetis Leuitici·x·
Videns moyſes rebellionē chore et
cōplicū ſuorū irat⁹ vald̄ ait ad dñm
ne reſpicies ſacrificia eorū Nūi·xvi·

Conſiderans jonathas maliciam et
iram patris ſui ſaul cōtra dauid ſur
rexit a menſa iratus et nō comedit
panē illo die·j·Regum.xx.

Audita parabola nathan dauid ira
tus indignacione cōtra hoiem illū
dixit viuit deus quoniā filius mor=
tis eſt qui hec fecit·ij·Regū·xij·

Helizeus iratus fuit contra joas rē
gem iſrahel eo ꝙ nō percuſſerit terrā
ſagitta quinquies aut ſexies vt totā
ſiriam deſtrueret·iiij·Regū·xiij·

Audiens neemias clamorem popu=
li ꝓpter vſuras quas exigebāt opti=
mates iratus eſt nimis Neemie·v.

Audita querimonia heſter ꝙ aman
omnes iudeos occidere ꝑcurabat aſ
ſuerus rex ſurrexit iratus de loco cō
uiuij Heſter·vij·

De ira mali hominis·

Ira mali hominis fugienda
eſt quia ſemper cicioſa eſt·
Iratus cayn eo ꝙ munera
fratris ſui accepta eſſent occidit eum
Geneſis·iiij·

Audiens ſaul poſt victoriam dauid
cōmendari iratus eſt et diſplicuit
ſermo in oculis eius·j·Regū·xviij·

Cū excuſaſſet jonathas dauid apd̄
patrē ſuū ſaul irat⁹ ſaul dixit ad eū
filij mulieris virū vltro rapiētis·j·
Regum·xx·

Venit achab rex iſrahel in domū ſuā
indignans et frendens ſuper qd̄ lo=
cutus naboth ſcȝ ꝙ nollet vineā ſibi
concedere·iij·Regū·xxj·

Poſt ſalubre cōſilium heliſei irat⁹
naaman receſſit·iiij·Regū·v·

Separauit amaſias exercitū effra=
ym qui venerat ad eū pro eo ſcȝ ꝙ
malus erat nec voluit ꝙ ſecū ad bel
lum veniret ac illi vehementer irati
contra iudam reuerſi ſunt in regio=
nem ſuam·ij·Parali·xxv·

Ozias rex iuda iratus ſacerdotibus
ipm̄ arguentib⁹ minabat̄ eiſdem·ij·
Paralipominon·xxvj·

Cum reuerſus eſſet ſennacherib fu=
giens a iudea iratus multos iudeos
occidit Thobie·j·

Dicente thobia de hedo balente vi=
des ne forte furtiu⁹ ſit vxor ei irata
reſpondit manifeſta ē vana ſpes tua
Thobie·ij·

Cum audiſſet holofernes ꝙ filij iſra
hel prepararent ſe ad reſiſtendū ſibi
furore nimio exarſit in iracundiam
magnam Judicum·v.

Cū dixiſſet achior magnam poten=
ciam de iſrahel irati ſunt magnatēs
holofernis et cogitauerūt ipm̄ inter=
ficere Judith·v·

De ydolatria·

Videns popul⁹ iſrahel ꝙ mo
ram faceret moyſes in mon=
te dixit ad aaron fac nobis
deos qui ꝑcedant nos Exodi·xxxij·

Fornicatus eſt populus iſrahel cum
filiab⁹ moab que duxerunt eos ad
ſacrificia deorū ſuorū Nūi·xxv·

Mortuo joſue filij iſrahel ſeruierūt
baalam et aſtaroth Judicū·ij·

Cum ſenex factus eſſet ſalomon ſe=
quebatur deos alienos concubinarū
ſuarum et adorauit eos vt patet·iij·
Regum·xij·

Jheroboam fecit duos vitulos aure
os et dixit ecce dij tui iſrahel qui de=
duxerūt te de terra egipti·iij·Re·xij·

Achab rex ſeruiuit baal et adora=
uit eum·iij·Regum·xvj·

Edificauerunt viri de iuda aras et

ſtatuas et lucos ſuper omnem collē
excelſum et ſubtus omnem arborem
frondoſam .iiij. Regū. xvij.
Tranſlatis filijs iſrahel in aſſirios
collate ſunt diuerſe gentes in ciuita
te ſamaria et vnaqueq3 fecit deum
ſuum. iiij. Regum. xvij.
Sennacherib rex aſſiriorū cū in tē=
plo adoraret deum ſuū duo filij ei9
percuſſerunt eū gladio. iiij. Re. xix.
Manaſſes rex iuda erexit aras ba=
al et adorauerunt omnem maliciam
celi. iiij. Regū. xxi.
Nabuchodonoſor fecit ſtatuam au
ream et precepit vt omnes adora=
rent eam Danielis. iii.
Darius rex perſarū pcepit vt null9
aliquid peteret nec a deo nec ab ho=
mine niſi ab eo Daniel. vj.
Erat ydolū in babilone qd rex et
alij quotidie adorabant et cū daniel
hoc ſubuertiſſet ipi babilonij ora=
conem adorauerūt Daniel. xiiij.
Anthiochus iuſſit edificari aras et
templa Machabeorū. j.

¶ De iactancia.

Nal filius obeth dicebat ſo
cijs ſuis quis ē abymalech
et que eſt ſichem vt ſeruia=
mus ei vtinam daret aliquis ppl'm
iſtū ſub manu mea Judicum. ix.
Sampſon leonem in heremis lacera
uit nec tamen tantam probitatē iu=
dicauit Judicum. xiiij.
Golyad philiſteus exp'brabat iſra
hel. j. Regum. xvij.
Adonias filius dauid et agith ele=
uabat' dicens ego regnabo et parū
durabit regnū meū. iij. Regū. j.
Benadab rex ſyrie miſit regi iſrahel
dicēs hec faciant michi dij et hec ad
dant ſi ſufficeret puluis ſamarie pu
gillis omnis populi qui ſequit' me.
iij. Regum. xx.
Rapſaces ex parte regis aſſiriorum
ait nūquid laborauerūt dij genciū
terram ſuā vos de manu regis aſſi=
riorum. iiij. Regum. xviij.
Holofernes dixit ad achior cū p=
cuſſerimus omnes quaſi hominem
vnū tunc et ipe cū illis gladijs aſſi
riorum interibis Judith. vi.
Amon cōuocau' amicos ſuos expo
ſuit ill' magnitudinē ſuā Heſter. j.
Helya dixit multa verba iactancie
Job. xxxii.
Oſtendam vobis ſapienciam meam
Nabuchodonoſor dixit trib9 ſocijs
danielis qui noluerūt ſtatuam eius
adorare quis eſt deus qui poſſit eos
de manu mea liberare Daniel. iii.
Deambulans in aula babilonis na
buchodonoſor ait nōne hec babilon
ciuitas quā edificaui in domū regni
in robore fortitudinis mee et in gl'a
decoris mei Danielis. iiii.
Audiuit ſeron q' cōgregauit iudas
eccleſiā fideliū et ait faciā michi no=
men et debellabo iudā ſed contrario
accidit. i. Macha. iij.
Demetrius filius demetrij miſit ad
ionatham dicēs deſcende ad nos in
campū et agrediemur illic inuicē q'r
mecū eſt virtus bellorū et victoria
et diſce quis ſū ego ſed tamen ma=
le accidit ei. i. Macha. x.
Nichanor contra iudam pugnatu=
rus vocauit negociatores pmittens
ſe p vno talento nonaginta manci=
pia iudeorū. j. Machabeorū. iii.
Interrogauit quoq3 iudeos ſi ē po=
tens in celo qui imperauit agi diem

ſabbatorum et reſpondentibus illis
eſt dn̄s potens in celo qui iuſſit agi
ſeptimū diem qui ait Et ego potes
ſum ſuper terram qui impero ſumi
arma et negocia implere·ij·Macha:
beorum·xv·

Rex anthiochus dixit ſe iheroſoli:
mam venturū et eam congeriem ſe:
pulchri iudeorum facturum ſed ali:
ter euenit·ij·Machabeorū·ix·

Petrus magiſtro audacter ait et ſi
omnes ſcandalizati fuerint nō tn̄ te
negabo ſed tamen aliter ei accidit.
Mathei·xxvij·

Jactantes et de ſe mencientes dya:
bolum imitantur qui cum xp̄o om:
nia regna mundi oſtenderet ait om:
nia michi iſta tradita ſunt et cui vo
lo do illa Luce·iiij·

Contra iactantes et arrogantes in:
ducit dn̄s parabolā phariſei dicen:
tis nō ſū ſicut ceteri·Luce·xviij·

Dixerunt iudei ceco nato et illumi:
nato in peccatis natus es totus et
tn̄ tu doces nos Johannis·ix·

Pylatus dixit neſcis qȝ poteſtatem
habeo crucifigere te Johānis·xix·

¶ De iudicijs bonis ſiue malis·

Cauſam quam neſcit iudex
diligenter inueſtigare debet
Job·xxix·

Dixit dn̄s deus deſcendam et vide:
bo vtrum clamorē qui venit ad me
opere compleuerūt Gen̄·xviij·

Deſcendiſſe etiā legitur vt videret
ciuitatē quā edificauerūt filij adam
licet ip̄m nichil lateret Gen̄·x·

Iniuſte pcepit iudas thamar nurū
ſuam cōburi Geneſis·xxxviij·

Dn̄s egipti ꝓpťr crudele verbum
vxoris ioſeph miſit in carcerem Ge
neſis·xxxix·

Minora per minores maiora per
maiores iudices debent diffiniri iu:
xta illud qđ conſuluit ıhetro moyſi
Exodi·xviij·

Filij ſamuelis iudices iſrahel decli:
nauerunt poſt auariciā acceperūtqȝ
munera et peruerterunt iudicium·i·
Regum·ij·

Dauid eciam iniuſte ſentenciā con:
tra miphiboſeth abſentē ad verbū
ſibe exenia offerentis·ij·Regū·xix·

Salomon recte iudicauit duas me
retrices p filio occiſo·iij·Regū·iij·

Conſtituit ioſaphat rex iuda princi
pes terre precipiens eis videte quid
faciatis non hominis ſed dei iudiciū
exercetis et qđcumqȝ iudicaueritis
in vos redūdabit·ij·Parali·xix·

De diuitibꝫ iſrahel dixit Yſaie·i·

Principes tui infideles ſocij furum
omnes diligūt munera et ſecuntur
retribuciones pupillo non iudicant
et cauſa vidue nō ingredit ad illos

Quāuis rex darius perſarū rex ſci:
ret danielem innocentem tamen ad
inſtanciam ſatraparū miſit eum in
lacum leonum Daniel·xiiij·

Simile accidit Danielis·iij·

Diſcrete examinauit daniel duos ſe
nes qui contra ſuſannam falſū tule:
runt teſtimoniū et illos morti con:
dempnauit Daniel·xiij·

Cum accuſaretur ip̄e menelaus in
iudicio cōram ip̄o anthiocho p pe:
cunia quā pmiſit abſolutus fuit et
accuſatores ſuos iniqua morte con:
dempnauit·ij·Machabeorū·iiij·

Dixit nichodemꝰ phariſeis nūquid
lex noſtra iudicat hominē niſi prius
audierit ab ip̄o et cognouerit quid
faciat Johannis·vij·

Nequiſſimū fuit iudicium pylati
q̄ barrabam latronem homicidā ſe=
diciosū dimiſit dn̄m iheſū xp̄m mor
ti cōdempnauit Mathei·xxvij.
Cū paulus eiciſſet demoniū de pu=
ella phitoniſſa accuſatus fuit a do=
minis illius quibꝫ ip̄a queſtū diui=
nando p̄bebat magiſtratus autē fe=
cit paulū et ſylam virgis cedi et in
carcerem mitti Actuum·xv.
Judeis paulū accuſantibꝫ dixit gal
lio ſi eſſet iniquū aliquid aut faci=
nus peſſimū recte vos ſuſtinerē. Si
vero queſtiones ſunt de lege veſtra
voſipi videritis Actuū·xviij.
Princeps ſacerdotū iuſſit pcuti os
pauli tūc ait paulus percuciat te de⁹
pies dealbate et tu ſedēs iudicas me
de lege ſm̄ legē cōtra legē iubes me
percuti. Actuum·xxiij.
Dixit feſtus preſes non eſt conſue=
tudo romanis dampnare aliquē ho
minem prius q̄ꝫ hijs qui accuſatus
eſt ante preſentes accuſatores locum
defendendi habeat Actuum·xxv.
Nota quicq̄d hic de iudicio ponit̄
de iuſticia accipi poteſt.

¶ De iuramento.

Dixit abymalech ad abrahā
dn̄s tecum eſt in vniuerſis q̄
agis iura ergo michi ne mi
chi noceas dixitq̄ꝫ abraham ego iu=
rabo Geneſis·xxj.
Jacob et laban inierunt fedus et
iurauit iacob per timorē patris ſui
yſaac Geneſis·xxxj.
Moyſes iurauit qꝫ habitāret cū ie=
thro et accepit zephoram filiam ei⁹
in vxorem Exodi·ij.
Pepigit ionathas fedus cū domo
dauid et iurauerunt ambo·primo·
Regum·xx.
Flente dauid pro filio ſuo abſolon
dixit ioas ſurge et procede et allo=
quens ſatis fac ſeruis tuis· iuro enī
tibi per deū qꝫ ſi non exieris nec vn⁹
quidem remāſurus ſit tecum·primo
Regum.xix.
Jurauit dauid berſabee matri ſalo=
monis qꝫ ip̄e ſalomon regnaret poſt
ip̄m·iij·Regum·j.
Salomon audita peticione matris
p adonia iurauit per deū dicēs hec
faciat deus et hec addat qꝫ cōtra ani
mam ſuam locutus eſt adonias ver=
bum hoc·iij·Regum·ij.
Benadab rex ſyrie indignatus ad
reſponſionē achab ait hec faciat mi=
chi deus et hoc addidit ſi ſufficerit
puluis ſamarie pugillis omnis po=
puli qui ſequit̄·iij·Regū·xx.
Simile iuramentum fecit ieſabel qꝫ
helyam prophetam occiderit·tercio·
Regum·xix.
Nabuchodonoſor iurauit qꝫ defen=
deret ſe Judith·j.
Rex anthiochus filius anthiochi
miſit ad iudeos pacem facere cum il=
lis et rupit cicius iuramentum·pri=
mo·Machabeorū·vj.
Petrus dicentibꝫ ſibi et tū ex illis
es cepit iurare qꝫ nō nouit hominē
Mathei·xxvj.

¶ De iuſticia.

Abraham volens ſeparari a
loth nepote ſuo dedit ei o=
pcionem vt quā partē vel=
let eligeret Geneſis·xiij.
Adducto agag rege amalech corā
ſamuele ait ei ſamuel ſicut fecit gla
dius tuus mrēs abſq̄ꝫ liberis ſic abſ
q̄ꝫ liberis erit mater tua·ij·Reg·xv.

Dixit dauid ad ſaul qui eū iniuſte
perſequebatꝰ dn̄s retribuet vnicuiqꝫ
ſcḋm iuſticiā ſuā·j·Regum·xxvj·
Conſtituit dauid et quaſi pro lege
habitum eſt ꝙ equa erit pars deſcē
dentis ad p̄lium et ad ſarcinas rema
nentis·j·Regum·xxx·
Precepto aſſueri ſuſpenſus ē amon
in eodem patibulo quod mardocheo
parauerat et hoſtes iudeorū eodē die
a iudeis occiſi ſūt Heſter·vj·et·vij·
Jubente dario rege qui danielem
accuſauerūt in lacum leonū in quo
ipſe fuerat miſſi ſūt Daniel·xiiij·
Fecit populus duobꝫ preſbiteris ſi
cut ipſi contra ſuſannam feciſſe vo=
lebant Danielis·xij·
Anthiochꝰ ſicut ipſe alios male per
cuſſit ita ipſe peſſime percuſſus inte=
riit·ij·Machabeorū·ix·
Nota hic de ſeruo nequā quomo=
do punitus eſt quia noluit miſereri
conſeruo ſuo Mathei·xviij·

¶ De luxuria.

Luxuria cauſa fuit diluuij pre
cipua Geneſis·vj·
Nota quanta mala euene=
rūt ꝑ ardenti amore ſichen filij emor
qui dinam filiā iacob violenter op=
preſſit Geneſis·xxxiiij·
Luxurioſi luxuriam quꝫqꝫ in alijs de=
teſtanꝰ vt patet de iuda qui dixit de
thamar ꝓducite eam vt cōburatur
et tamē ipſemet licet neſciens impre
gnauerat eam Geñ·xxxviij·
Judicum·xx·legitꝰ ꝙ viginti quiqꝫ
milia hoim ꝓpter luxuriā mortui ſūt
Dauid cum berſabee adulteriū cō=
miſit et poſtea vriam virum eiꝰ oc=
cidit·ij·Regum·xj·
Amon filius dauid thamar ſororē
ſuam oppreſſit ꝓpter qḋ poſtea occi
ſus fuerat·ij·Regum·xiij·
Nota de ſodomitis de filiabꝫ loth.
Deteſtabilemꝰ luxuriam cōmiſit ab=
ſolon cū cōcubina patris ſui et cito
poſt occiſus eſt·ij·Regum·xvj·
Adamauit ſalomon mulieres alie=
nas et deprauatū ē cor eiꝰ per eas et
adorauit deos alienos·iij·Regū·xj·
Dixit angelus thobie iunori in eos
qui cōiugium ita ſuſcipiūt vt deum
a ſe excludant qui ſue libidini va=
cant demon habet poteſtatem ſuper
eos Thobie·vj·
Quid ergo adulteris et fornicatori
bus qui nil aliud intendunt niſi vt
ſuam fedam expleant libidinem.
Cor holofernis cōcuſſum eſt pulchri
tudine iudith et ardebat in cōcupi=
ſcenciam eius Judith·xij·
Duo ſenes arſerunt in cōcupiſcen=
ciam ſuſanne et poſteā male interie=
runt Danielis·xiij·
Tempore anthiochi templum luxu=
ria et cōmeſſacionibꝫ erat plenum et
ſcortanciū cum meretricibꝫ·ij·Ma=
chabeorum·vj·
Herodes occaſione herodiadis quā
contra legē duxit iohannē baptiſtā
decollauit Mathei·xiiij·et·marci·vj·
Inter illos qui ad cenam magnam
vocati ſūt excuſauit ſe ille q̄ vxorem
duxit et ideo noluit venire Luce·xiiij
Ex quo patet ꝙ ad cenā etiā venire
nō poſſunt q̄ nimis libidini vacāt.
Iſtud exemplū de filio ꝓdigo mul
tum debet cōmouere homines ad ca
uendū contra luxuriā qꝛ ꝓpter hoc
multa mala incurrunt vt patet ſu=
pra Luce·xv·

¶ De maledictione dei.